

49/28.

154

D. S. V.

AD

JUSTA FUNEBRIA,

QVÆ

NOBIL. AMPLISSIMO PRÆCLARISSIMO

DN. M. HENNINGO

WITTE

ELOQV. ET HISTOR. PROFESSORI PUBLICO,  
VIRO

DE ATHENÆO NOSTRO ET RE LITERARIA  
OPTIME MERITO

A. O. R. CI<sup>o</sup> I<sup>o</sup> C<sup>o</sup> XCVI. AD. D. II. M. FEBR.  
RITU CHRISTIANO PERSOLVENTUR

EXEQVIATORES OMNIUM ORDINUM

HONORATISSIMOS

SUBMISSE, OBSERVANTER ET OFFICIOSE  
INVITAT,

CIVES VERO ATHENÆI NOSTRI

PERAMANTER CONVOCAT

M. DAVID HORNICEUS,

PHIL. PROF. PUBL.



I votis aliquid proficeretur,  
optandum esset serio, ut illi, qui  
& saluberrimis doctrinis juvenum studio-  
forum animos ad verum mansurumq; de-  
cus sinxerunt, & ingenii monumentis non  
solum urbem Patriam, sed orbem, quæ  
patet, eruditum ornarunt, & multos, eosq;  
illustres manes æternitati consecrarunt,  
vel superessent semper, vel, minimum, dies suos ultra communes  
vivendi terminos, animò pariter integri ac corpore, extenderent.  
Verùm, cum irrita hæc sint vota, dum Parca, & illis parcere nescia,  
stamina vitæ sæpius rumpat præcociter; committendum tamen  
interca non est, ut clarissimorum Hominum memoria unà  
cum corpore intercidat penitus, ac obliteretur. Multa enim  
hortantur nos, & sudent, ut eam habeamus reverenter, amplisq;  
& egregiis, perinde ac fieri par est, monumentis consecremus, atq;  
ut ad omnes posteros servetur in violata ac vigeat, quantâ possumus  
meritorum prædicatione efficiamus. Et has pietatis ultimæ  
partes non temere deferendas esse in præsentem, dum Nobil. Ampli-  
sissimus, Præclarissimusq; Vir, Dn. M. HENNINGUS WITTE,  
Eloqv. & Histor. in Athenæo nostro Professor Publicus multò me-  
ritissimus, satis cesit, planè atq; omnino existimaverim. Erat  
quippe Decus Ordinis nostri & Patriæ: erat literati Orbis, quem,  
ob vindicatos in primis ab oblivione Viros, devinctum sibi reddi-  
derat, delictum. Equidem vellem, DEUS immortalis fecisset, ut  
vivo potius Collegæ Optimo de recuperata valetudine gratularer,  
quàm mortuo officium persolverem, quippe quod ultimum, atq;  
adeò mihi tristissimum est; solemnem tamen pietatis significationem  
vel invictissimè nunc declarandum. Quod ut pro consuetudine  
fiat ac decoro, quæ ad natales Ejus, mox, quæ ad studia & do-  
ctrinam, nec non, quæ ad omnem Ejus vitæ fortunæq; cursum  
pertis-

38128  
pertinent, breviter tantùm & sine phaleris proponemus. Ut itaq;  
à Natalibus solemnem more ordiamur, sortitus est ò Μακαρίτης  
Noster nascendi auspicia in Urbe hac florentissima Anno seculi, quò  
vivimus, 34. d. 26. Febr. Patrem Virum Spectatissimum JOHAN-  
NEM WITTE, Majoris Civium Collegii Seniores, & Mercatorem  
primarium: Matrem CATHARINAM, Nobili apud nos familiâ  
BARTRAMMORUM oriundam, pietate pariter & Virtute Ornatis-  
simam Matronam habuit. Dederunt hi operam, ut, postquam in  
sacrum fontem remissus, pietate & literis, sine quibus immane  
quantum in rebus inane est, imbueretur. Neq; in casum. Licet  
enim primis pueritiæ suæ annis imbecilliori & dubiâ plurimùm  
esset valetudine, quæ conatus sæpe refrænabat laudabiles, corrige-  
re tamen hoc malum solebat industriâ, quæ in ipso tanta, tamq;  
pertinax erat, ut Theopompi instar fræno reprimi indigeret. Quod  
cum Parentes optimi non minùs ac alia bonæ indolis indicia in  
Filio notarent, adjuvandum enixè esse Henningum statuerunt, &  
quem Deo consecrandum rati, tenerâ adhuc musteâq; ætate in  
Scholam miserunt. In qua non saltu, Empedocleo sæpius noxiori,  
sed justo ordine, quem ipsa natura & molitor DEUS observat, sed  
merito suo ad altiora sabinde subsellia adspiravit, & sub fidelissima  
Præceptorum informatione ad Græcos, Latinosq; Autores sermo-  
nis utriusq; lumina ac ornatum in animum admisit, profecitq; lu-  
culenter, adeò, ut Annò 1654, ad majora in studiis spatia facienda,  
in numerum Civium Gymnasii nostri cooptaretur. In eo quatuor  
admodum annos subsistit, & melioribus literis, ac Philosophiæ o-  
peram navans prorsus sedulam, magnis passibus in stadio literario  
procesit. Sæpius enim visus in exedra, quâ aptè pariter ac expe-  
ditè modò necere dubia, modò ab aliis proposita, discutere ac  
replicare non sine suâ laude auditus est. Rationes autem dicen-  
di ad placita Viri, meò Elogiò majoris, JOHANNIS BREVERI,  
quem hodie venerandâ canitie Antistitem & communem urbis  
Præceptorem supersitem (det DEUS adhuc diutissime!) colimus,  
composuit. Sed & coram Amplis. Confessu quid vires valerent,

periclitaturus, sub umbone Cl. JOH. RICHMANNI de Prima Rerum  
Materie, prima pariter in notescendi materia, responsa dedit pu-  
blicè. Hanc pulcherrimum conatum haud multò post Oratio,  
quã Virorum ex omni Ordine Præstantissimorum & lue pestifera  
post felicissimam Moschorum oppressiõnem, Patriam acerbè in-  
festante absumptorum ab oblivione liberare memoriam ausus est,  
exceptit, quæ typis deinceps exscripta in lucem prodiit. Sed  
temporis ratio jam postulare videbatur, ut tam solidis funda-  
mentis, reliqua eruditionis structura superinduceretur. Hinc in  
consilium ante vocatis rectoribus, DEOq; Duce, annò  
1658, trajecit Lubecam, & salutato ibidem Theologo Seniore, MEN-  
HANNEKENIO, mox Hamburgum petiit, & famigeratissimi  
SCHUPPII favorem promeritus, citatò cursu ad Academiam Ju-  
liam, quæ Helmstadii est, contendit. Hanc ingressus inceptæ sta-  
diorum telæ eò animò atq; ardore fila submitit porro, ac si pau-  
cos intrà menses totum literaturæ ac eruditionis Oceanum men-  
te concludere vellet ac emerit. Sub hoc schemate se exhibuit  
Exc. FRID. ULRICO CALIXTO, Patrono ac Hospiti suo, eòq;  
Præside sexties de præcipuis Religionis nostræ Capitibus in magno  
Juleo publicus disseruit Respondens. Hoc agens, nec aliorum  
Doctorem Scholas, sive publicas, sive privatas neglexit Noster;  
sed, quantum potuit studio, sectatus est. Cum primis tamen Theo-  
logorum accuratissimo GERH. TITIO, Orthodoxiam exlympi-  
disimis Israëlis fontibus adferenti & contrà, artes commentaq;  
adversariorum incredibili dexteritate & perspicacissimo judicio  
confutanti studium & attentionem probavit. In illis, quæ sive  
ad Humanitatem, sive ad Philosophiam, eamq; sobriam, perti-  
nebant, imbibendis, pluteis Virorum sine controversia magno-  
rum HER. CONRINGII, CHRISTOPH. SCHRADERI & SAM.  
RACHELII auditor adhæsit, & nunquam non abiit doctior. In-  
tegro trienniò, nec absq; fructu, in hoc Musarum Templo com-  
moratus, severiora studia temperaturus, ad vicina loca excursio-  
nem facit, & Hercyniam, propter metallica opera, curiosè per-  
lustrans,

lustrans, Melibocum, Quedelinburgum, Halberstadium, Magde-  
burgum, & omnium elegantiarum sedem, Lipsiam, concessit.  
In primis hoc in partem felicitatis ponebat, quod toto orbe ce-  
lebratissimam Bibliothecam Gvelferbytanam inspicere, ani-  
mumq; ac oculos splendore ejus ac MSSorum cum primis uber-  
tate pascere datum ipsi concessumq; fuerit. Revisit tandem  
Helmstadium; sed sine animo commorandi ibidem ulterius.  
Nam cum alienam à strepitu Academico vitam agere mallet, annò  
1661. valedixit loco, per Hildeshemium (ubi JOH. HILPERTO,  
Lingvarum variarum peritissimo Viro, innotuit) Cassellam, Mar-  
purgum atq; Francofurtum, se Darmstadium movit, benignis-  
simeq; à Magni Nominis Theologo BALTHASARE MENTZERO  
exceptus est, cujus Bibliothecâ usus liberè utiliterq;, Disputatio-  
nem de arduo Fidei Capite, Justificatione, conscripsit; Giesæ de-  
inceps Moderatore Actus Summè Rev. PETRO HABERKORNIO,  
habitam. Dum autem in Athenis Ludovicianis ulterius degit,  
non spectatorem otiosum, sed actorem negotiosissimum se  
præstitit WITTIUS. Publicè enim modò Laudato HABERKOR-  
NIC Henotica Cassellani Colloqvii fœdera sub incudem veritatis  
divinæ vocanti, privatim verò Exc. JOH. NIC. MISLERO, tunc  
contra Novatorum molimina insurgenti, interrupto nunquam  
ordine adfuit. Dum autem hæc exponimus, nec possumus, nec  
debemus tacere voluntatem planè egregiam, quã & Giesæ, &  
Darmstadii Fautores, nullis meritis provocati, persecuti sunt No-  
strum. Quos inter celebrandi in primis sunt modò memoratus  
MENTZERUS, celeberrimus Hassorum Archiater, JOH. DAN.  
HORSTIUS ejusq; Gener dignissimus, LAUR. STRAUSIUS, ut  
& Ampliff. JOH. CONR. DIETERICHUS, qui Nostrum pro fi-  
lio fratreq; habuerunt, & amicissimis postea absentem literis  
compellarunt. Et licet ægerrimè à tam charis amplexibus, qui-  
bus hæserat hætenus, divelli se pateretur; relinquere tamen  
eosdem annò 1662. coactus est; dum intestina Studiosorum bella  
mutationem loci svaserunt vehementer ac injunxerunt. Hinc

cum commilitone quodam Veteri Heidelbergam profectus est, ubi eodem forte tempore ingens fama de splendidissimis Orientalis Frisæ Ducis cum Württembergica Principē habendis Nuptiis ferebatur. Studgardiam ergo properant, & cum per octiduum ibi interfuissent solemnibus, Spiram in reditu salutant. Mox ad Acidulas Schvvalbachj subsistunt, magna Hominum perillustrium frequentia valde conspicuas. Sed vidisse hæc omnia ac notas, parum ipsi videbatur, nisi Teutonici Orbis Ocellum, Noribergam, Urbem, & Viris in omni scientiarum genere præstantissimis, & naturæ pariter ac artis miraculis affluentissimam inspexisset. Hanc cum saluus attigisset, applicavit se Noster ad JOH. MICH. DILHERRUM, Philologum æque ac Theologum celeberrimum, qui in eo ornando fovendoq; multum valuit. Hospitem ibi ex voto nactus est Amplissimum JOH. HELDIUM, qui & præsentem tenerrimè amabat, & absentem postea literis compellabat sapius. Huic felicitati pondus quasi addidit Exc. CHRIST. ARNOLDI quotidia penè conversatio, quâ nihil sibi utilius esse sensit & fassus est, propterea, quod in eo Viro amplæ reconditæq; doctrinæ exemplum cernebat, & pari industria sequebatur. Huic Ebraicæ Anglicæq; Lingvæ peritiam se debere ingenue scriptoq; publico testatus est: Hujus, licet diuturno tempore ab eo abesset, lucernas tamen olebat valde fragrantas. Noribergâ perrexit in Aldorsinam & consuetudine JOH. CONRAD. DURRII, JOH. PAUL. FELWINGERI, MAT. KONIGII, Professorum voce & scriptis Clarissimorum, se erexit magis ac provexit. Ad Comitia porro Anno 1663, quæ Cæsarea tum Majestas sua præsentia mirificè illustrabat, Ratisbonam iter direxit, eâq; occasione multa vidit & notavit, hocq; cum primis felicitatis locò sibi deputavit, quod, ut hætenus ex Libris, cedrò dignissimis, sic jam ex colloquiis HENR. URSINI atq; LUD. PRASCHII potuerit erudiri. Relictâ autem Ratisbonâ, Monachium, Augustam Vindelicorum, & propter Danubium, Ulmam concessit, Tubingam quoque, & in ea Theologos Primicerios, TOB, WAGNERUM, JOH. AND,

AND. OSIANDRUM, atq; ER. MAURITIUM, quamvis ob Rhedarii festinationem *ὡς ἐν παρόδῳ* salutavit. Tandem Argentoratum pervenit, & in ædes Magnifici SEBAST. SCHMIDII receptus est; cuius ut & Exc. BALTH. BEBELII in Collegio Anti-Becano occupati, adiit pulpita. DANNHAUWERI incomparabilis non sum oblitus; sed quem primo locò nominare debebam, ad extremum fere reservavi, quod instar omnium Nostro exasciando fuerit. Philosophus idem, Philologus ac Theologorum summus, & in enodandis divinarum literarum Oraculis multò versatissimus. Nec Senacii literarii Proceres JOH. HENR. BOECLERUM, BALTH. SCHEIDIUM tacere omnino hic debeo, quippe quos, & Exc. PHIL. JAC. SPENERUM auditor sectatus est admiratorq;. Alsaticis anno 1664. valedicens Musis, amabili Rheni trajectu in Belgium se contulit, Spiram denuo, Wormatiam, Darmstadium, Francofurtum attingens; Moguntiam dein atq; Bonnam, Coloniam Agrippinam, vidit & ulterius ad Clivæ ac Montensis ducatus hujusq; Metropolim, Disseldorpium, pervenit. Hinc Noviomago, Arnhemio, civitatibus Geldriæ, aliisq; relictis, Dordrechtum, Antvverpiam, Lovanium, Academiâ & LIPSI se pulchro nobilitatam, Brûxellam, & eximia alia Brabantia munimenta ubiq; vigilans peragravit. In Flandria restabat Gandavi, Brugis, Schlüsæ atq; Ostendæ paulisper subsistere, donec navali itinere Angliam, haud ambiguo cursu, peteret, & Emporium Europæ populosissimum, Londinum, intraret. Quæ visa hic digniora, quinam Viri omnium Ordinum eminentes, qualis consortiò usus, majora sanè sunt, quam ut brevi Schediasmate omnia atq; singula recenserentur queant. Oxoniam se quoq; recepit, eò ipsò anni tempore, quo Comitia, ceu vocant, Academica illuc celebrabant. Multus profectò essem, si omnia, quæ hic vidit & audivit, repetere altiùs vellem; felicem interim non possum non predicare Nostrom, quod ipsi plura unius alteriusq; diei celebritate notare licuerit, quam aliis integri anni decursu. Hædem adhuc æstate Oxoniâ redux in Selandiam navigabat, de-

mumq;

numq; Middelburgum pervenit, ibidemq; in Medicum atq; Ec-  
clesiasten famigeratissimum JOH. DE MEY exoptatus incidit, qui  
ipsi varias insectorum formas, a nemine hactenus observatas, o-  
stendit. Postea & Roterodamum, Delphium, Amsterdamum,  
Hagam Comitum, Lugdunum, Utrajectum, Franekeram, Gro-  
ningam, cursum direxit, & ubiq; viros undiqvâq; inclutos JOH.  
HORNBEONIUM, JOH. COCCEJUM, GEOR. HORNIUM, JOH.  
FRID. GRONOVIVM, GISB. VOETIVM, JOH. LEUSDENIVM,  
JOH. GEORG. GRÆVIUM, CHRIST. SCHOTANUM, NICOL.  
ARNOLDUM, SAM. MARESIUM ac JAC. ALTINGIVM non  
vidit modo, sed audivit, sed quoq; alloqvutus est, & quid de qua-  
vis re penitus sentirent, præsens didicit atq; accuratè intellexit.  
Tandem ex Belgio ad Germanos reversus, Oldenburgum, Bre-  
mam, Hamburgum, Lubecam, Wismariam transit, & in illu-  
stri ad Varnum Roseto aliquot hebdomadibus pientissimo Theo-  
logo HENR. MULLERO se convictorem dedit, qui & impensè  
dilexit Nostrum, adjuvitq;, & absentem literis insuper ad ipsum  
perscriptis, honore manus suæ beavit, quas devotus cliens inter  
*Κειμήλια* sua reposuit asservavitq;. Sed ingruente hyeme pro-  
perandum erat ad Lipsienses, ad quos priusquam pervenit, Lu-  
neburgum, Brunsvigam, Helmstadium, Magdeburgum, Halam  
Saxonum partim revisit, partim hospes perlustravit. Lipsiam  
ingressus, corpus, itineribus lassum defatigatumq;, in ædibus men-  
saq; Venerandi Theologi SAM. LANGII refecit paululum, ani-  
mum verò prælectionibus acutissimi SCHERZERI in Breviarium  
Beati HULSEMANNI recreavit. Jucundus etiam aliis Magnisq;  
ibidem Viris fuit Noster, cum primis Summè Rever. MART.  
GEIERO: qui, Dresdam vocatus, ut SAXONI à Sacris esset,  
iter suscipiebat, sed non sine comite WITTIO suo. Hunc enim  
amore suo haud indignum judicabat animorum ille arbiter pru-  
dentissimus. Doctos adèò in Academiis Germaniæ præcipuos  
jam salutaverat. Jenam ergo Anno 1665, Vitembergam, Colo-  
niam ad Spream, Stetinum, Gryphisvâldiam, Stralsundiam,  
Wol-

Wolgatum Instrat & observantiam suam ubiq; locorum Doctis-  
simis Hominibus declarat. Visis autem tot exteris inspectisq;  
Regionibus ac Regnis indecorum ducebat, quinimò iniquum, si  
Sveciam non perlustrasset. Navigiò itaq; Holmiam trajecit, &  
Urbem splendidissimis Magnatum Palatiis superbientem, REGISq;  
divinam Majestatem ex juvenili facie, purpurâ & diademate  
illustriorem, Martiis insuper stipatum Heroibus, adspexit & ve-  
neratus est; Episcopos canitie & prudentia Theologica veneran-  
dos, eosq; inter, Strengensem præcipuè, ERICUM EMPORA-  
GRIUM coram submissè coluit. Et cum, in aula tum Regia,  
Præpotentis fœderati Belgii Minister, ceu vocant, Residens, NI-  
COLAUS HEINSIUS, DANIELIS, vastâ doctrinâ, Parelius adesset,  
semel iterumq; illum invisit, & multa humanitate, quam summus  
Vir Summæ Eruditioni syavi quasi connubio junxerat, ad collo-  
qvium admittitur. Ad Regiam Upsaliensem excurrere Acade-  
miam, JOH. LOCCENIVM & JOH. SCHEFFERUM, scriptis à  
judicio non minùs, quam oleo, laudandis celeberrimos adiit,  
multumq; ex sermonibus eorum præsens didicit. Ex hac Holmiam  
reversus, subductis itineris longinqui rationibus, reditum in Pa-  
triam meditatus, eiq;, postquam (cætera consultus taceo) Aca-  
demias XXI. partim inhabitasset, partim perlustrasset, & octo  
integros annos à Patriis laribus abfuisse, Deo O. M. Sospitato-  
re, autumnò præcipitè, salvus multoq; doctior redditus est. Re-  
dux autem tot tantosq; exantlatos labores opportunâ quiete le-  
nire voluit. Hoc animo volvens, Deò Pronubò, Fœminæ, ab  
animi fortunæq; bonis commendatissimæ ELISABETHÆ NOT-  
TELMANNIÆ, ex obitu NICOLAI KEMPII, Majoris Civium  
Collegii Senioris, Viduæ addixit fidem, & solemnibus Nuptia-  
rum A. 1666. 3. Sept. celebratis, sibi pactus est illam. Ex qua  
utriusq; sexus prolem, Filiam, CATHARINAM, Generis sui do-  
ctibus undiq; florentissimam, Anno 1685. Nobil. Ampliss. Con-  
sul-

177  
sultiff. DN. BALTH. à NAGELN, Senatori nunc gravissimo, au-  
spicatisimè nuptam: & Filium, NICOLAUM, suscepit Pater, plu-  
rimumq; hac Coniuge, quæ cum Andromache de palmâ certare  
videbatur, gavisus est Maritus. Sed ut res humanæ sunt, non  
usq; quaq; gaudere hac felicitate ipsi licuit. Anno enim 1690.  
d. 8. Aprilis charissima Coniux, volente sic summo vitæ necisq;  
Dictatore, Deo, morte surrepta ipsi est. Domui ergo inclinataq;  
ætati suæ consulturus Anno 1691. d. 16. Martii ad secunda, vereq;  
secunda, vota transiit, ductâ virtutum omnigenarum splendore  
conspicuâ Fœminâ MARGAR. GOLDBERGIA Spectatiff. BART.  
KEMPII, Majoris Civium Collegii Senioris relicta Viduâ: Vidua eheu!  
secundùm mœrore & luctu confusa, in qua recuperasse sibi vide-  
batur quod amore, fide, cura in priore perdiderat. Hæc quippe,  
quod dissimulari non debet, Marito à primis matrimonii annis,  
ultimò præcipuè, non vegeto satis valentiq;, tanta sollicitudine,  
& diligentia plane indefessâ, licet eodem penè casu affecta, bacu-  
lò gradum formare cogebatur, adfuit fidissima Uxor, nihil ut ad-  
summas laudes prætermiserit. Erat spatium, quò privatus sibi  
vixit ὁ Μακαρίτης. Sequitur illud, quò ad Professionem voca-  
tus, publico bono profuit. Quamvis dubitare quis merito  
posset, num sibi vixerit? dum in isthoc otio, ut publicas ad  
populum recitationes sacras, non tangam, scripta elaboravit in  
publicum profutura. Quicquid autem rei sit, hoc professò,  
doctâ industria consecutus est, ut Patronis se suis de meliori no-  
ta commendaret. Inde enim factum, ut cum Anno 1677. de-  
restaurando Gymnasio nostro serias curas susciperent Rei  
Scholasticæ Proceres, WITTIUM inter alios eruditione præcellen-  
tissimos Viros Doctorem desiderarint, quippe cujus eruditio per-  
specta jam ipsis erat & explorata. Vocatus eodem annò à  
Magnifico urbis Senatu ad Professionem Eloq. & Histor. obeun-  
dam, exosculatus est Dei voluntatem, Promotorumq; benevo-

lentiam, & annò proximè sequente, d. 20. Augusti, Orationem  
ut vocant, Auspicalem de Contubernio Eloqv. & Historiæ in splen-  
didissima Panegyri habuit luculentissimam. Qualem se ex eo  
tempore in munere suo gesserit, non opinor, nobis hic expo-  
nere necessum esse, cum, claro illustriq; ejus rei testimonio, tot  
præstantes Viri inveniantur, qui ejus sub Ungve olim fuisse, nunc  
quoq; gratis animis & sermonibus læti repetunt prædicantq;  
Non potest unum illud hic taceri, quod scripta varii commatis  
cum erudito orbe communicaverit, quæ à veris diligentia assi-  
matoribus magnopere & rectè celebrantur. Sunt autem:  
Memoriæ Theologorum Decades XVI. Ictorum Decades IV.  
Medicorum Decades II. Philosophorum Decades IX. Reperto-  
rium Biblicum: idem Homileticum: Diarii Biographici Tomi  
Duo. Tertius in schedis B. Authoris est: qui ut cum cæteris  
propediem lucem publicam videat omnino optandum. Lite-  
rarum insuper commercia cum præcipuis Seculi nostri Homini-  
bus, suo quibusq; loco, suaq; laude præfulgentibus, instituit, quo-  
rum nomina adscriberem, nisi angustia paginæ id planè prohibe-  
ret. Sed adsuprema veniendum tandem, eorumq; prodromos tri-  
stissimos. Ardore febrili Noster ante tres ferè annos corripiebatur,  
quæ singulis membris insidens, vires penè omnes depopulaba-  
tur. Multi tunc de vita ejus metuebant, plurimi desperabant;  
nec absq; re. Conclamatum enim de ea penè erat. At servatus  
hac vice est dexteritate experientissimi Medici, ut Dei providen-  
tiam agnosceret pariter, ac grato pectore celebraret. Procul  
tamen hinc antiqva illa species, procul robur pristinum. Col-  
ligere interim vires potuisset, nisi insperatus tristissimusq; planè  
casus omnem spem ademisset. Accidit enim, ut, Anno 1695.  
d. 4. Januarii Librum ex Bibliotheca altè repostum de promptu-  
rus, sellâ, cui insistebat, malè fidâ, in latus sinistrum gravi lapsu  
procideret. Quo casu non corpus solum concussum debilita-  
tumq;

tumq; est, sed & rerum custos, memoria, magnum passa est  
detrimentum. Aderat justo tempore Æsculapius experientissi-  
mus, qui ex præscripto artis suæ medicinam faciebat: nec irri-  
tò profus conatu. Postquam enim aliquot menses lecto affixus  
erat, in gratiam cum valetudine redire videbatur, dum & testu-  
dineo licet vacillantiq; gradu reperet, & assictos in ades suas  
Auditores recitationibus erudiret; sed videbatur. Aliter enim  
res cecidit, quando vires morbò & langvore difficili, lentòq;  
fractæ, ante mensem, non obscuram futuræ cladis significatio-  
nem dederunt. Quod cum adverteret Noster, curatius animæ  
prospiciendum esse judicavit. Devocari ergo jusfit Summè  
Rev. voluntatis divinæ Interpretem; qui mox præsto fuit & vitæ  
errores exponenti dolentiq; sedulò attendit, ac post religiosissi-  
mam exomologesin firmo eum fallendiq; nescio præsidio, Divino  
nimirum epulo, contra inferorum circumscriptiones & insidias  
munivit. Idem laudatissimus Mysteriorum Præbitor Nostrium  
ad cœlestia adspirantem oratione solatii plenissima excitavit ma-  
gis, omnesq; adeò sensus ejus dulcedine permulsi. Hinc post-  
quam suis valedixerat, totum se Salvatori Jesu fiduciâ plenissimum  
commisit. Tandem 22. Jan. nocte æris campani signo secundo dato,  
inter preces, & divinas adstantium modulationes, dormienti  
planè similis absq; motu nutuq; expiatam animam ad æternas for-  
tunasq; sedes transmisit. Nos pie defuncto, Viro Pio, Corda-  
to, Docto post tot langvores & vigilatas noctes beatissimam sor-  
tem gratulantes, Viros O. O. Honoratissimos, quâ decet, sub-  
missione, observantiâ & studio, solemnî formulâ, & sub debiti red-  
hostimenti fide iterum iterumq; oramus, velint hoc ultimo honori  
Beati Nostri dare, & honorifico prolixoq; comitatu funeris de-  
ductionem ornare quàm benevolentissimè. Vos autem ô MEI!  
ut ad persolvendum ultimum pietatis officium multis cohorter  
verbis, opus haud esse, vel ideò censeo, ne de vestra in defunctum,  
Doctorem meritisimum, observantia dubitasse ullâ ex parte videar.  
Dabam Rigæ Livon. 30. Jan. M. DC. XCVI.